

stylobatis fieri adiectionem, siquidem ipsis sub basium plinthis permanentibus, intersepta seu plutei in interiorem partem recedunt. Cæterum notatu dignum est Vitruuium affirmare, non ideo stylobatam alueolatum videri, si ad perpendicularum sit exæquatus, sed si ad libellam, quæ quidem exæquatio longe ab ea distat, quæ fit ad perpendicularum; siquidem quæ fit per libellam, horizonti æquidistet, illa autem eidem sit *πρὸς ὀρθὰς*, vt aiunt Græci, hoc est erecta, seu ad pates eidem angulos constituta. Demum hanc Philandri exæquationem, tam facilem esse affirmamus, tam vnicuique qui à primo saltem limine Architecturam salutauerit, expeditam, vt schemate illo atque demonstratione, quam pollicitus est Vitruuius, minus indigere videretur. His itaque hoc pacto examinatis, Philandrum à proposito sibi scopo aberrasse clarè patet. Philandro itaque relicto, Barbarum eadem enarrantem audiamus.

Ex commentariis in Vitruuium libro tertio  
capite vltimo.

**C**irca edes podium ex tribus partibus constitui Vitruuius dicit. Nam à fronte gradus erant, nemo etiam vetat quin postico gradus darentur. Podium erat tanquam manianum, quod nos pozuolum vocamus, constabat autem continenti ad stereobatis modum fabrica, sub columnis enim stylobatae posita erant, inter columnas autem, cum stylobatis coniunctus erat murulus, vel continenti lapide, vel columellis, & balaustiis interpositis, unde prospectus erat. Podii regula ea est, vt ea membra quæ stylobatae habent, eadem & podium habeat, quæ autem membra habere stylobata debeat, dicit esse quadras, spiras, truncos, coronas, lysis, id est, plinthis, bases, planum, & exæquatum medium, coronices & gulas, quæ omnia membra & partes, podium quoque habere debet: sed hoc interest, quod stylobata resilit extatque, podium verò in partem contrahitur interiorem. Extantiam stylobatae Vitruuius adiectionem nominat, retractionem verò podij, id est quicquid est inter stylobatas, alueolatum vocat. Quid  
verò

B

verò